

ad axem dictum, sed obliquè & antrorsum versus caudam & locum primæ fracturæ; ita quidem, ut extimus quilibet circulus peripheria sit baseos imæ in cono quodam cavo parvulo, cujus apex in axem prædictum terminetur versus caudam lachrymæ: Suntque coni hi cavi sibi mutuò manifestò interferti eo modo, quo calathi plures, unus intra cavitatem alterius recepti, alternas quasi thecas sibi præstant, ut unus ab altero distinctè separari subtiliore quodam cultello queat (vid. Num. 4.) tametsi omnes continuitate & firmitate careant, expulvisculis reipsâ separatis, & leviter adhuc cohærentibus, conflati.

XII. Unum adhuc commemorandum superest, cum annotâssent *Dn. Redi & Dn. Montanarius*, guttarum bases super rotas faxeas acuendis instrumentis chalybeis destinatas fuisse detritas & consumptas ad caudas usque nullâ earum disruptione consequutâ, ne quidem eo casu, quo tritura pergit ad bullas & cavitates guttarum satis grandes; ejus rei experimentum capere nos quoque voluisse, terendo unam alteramque mediante arenâ intra patellam pro terendis vitris aliis & conficiendis lentibus sive perspicillis paratam: Non fuisse tamen ita felices, ut trituram continuare ultra bullæ vel exiguæ principium licuisset &, quod speraveramus, aliquam illarum cavitatum ad apertam introspicere; quin eodem momento, quo terendo ad bullæ alicujus aperturam proximè accessum esset, lachrymæ totæ cum fragore solito diffiliissent, tametsi una earum trituræ violentiam ad medietatem usque capitis constanter toleraverat, ac inter terendum haut obscure poteramus animadvertere majorem harum quàm aliorum vitrorum duritiem.

XIII. Hæc sunt, quæ propriis experimentis circa lachrymas hasce comperimus, quas, anno 1656. Parisiorum experimentis jam dum subjectas & per *Dn. Charutum* è Suecia transmissas, haut improbabiler existimat *Montanarius*, à Suecia Hollandiæ, ab Hollandia Angliæ, Flandriæ, Galliæ, Italiæ,